

dem, & monachorum idolatriam, & peruersitatem. Hoc tempus est, quod in aula Romani pontificatus denotatum fuit vulgari sermone, surrecturum videlicet Eremitam, qui triplicem coronam Pontificis sit examinaturus. Et fecit huius sermonis mentionem Staupicius ad Lutherum aliquoties, inquiens: Arbitrabar Eremitam quendam designari ex syluis aut alijs desertis locis aduenientem, sed nunc video Augustinianum intelligi, cum Augustini institutum sit & nominetur Eremitanum.

Eduis positionibus Lutheri, Tezelius planè insanire incipit, defendens sua deliria, habens conciones contra Lutherum, eumq; ad rogam damnans, & publicè comburens Lutheri themata, ac inter cetera docens, soli Pontifici potestatem plenariam datam esse, sacras literas interpretandi sua pro sententia. Lutherus verò Pontificis auctoritatem maximi adhuc faciens, scribit Leoni decimo, & Archiepiscopo Moguntino, seq; ipsorum iudicio totum subycit & tantum petit, coerceri extremam petulantiam turpium & impudentium istorum buccinatorum, qui deformant Pontificem, & religionem Christianam ludibrio exponant. Sed tantum absuit, ut audiretur Lutherus, ut etiam statim agmina Pontificiorum conuenirent in unum aduersus Veritatem. Eccius scribit contra Lutherum: Sylvester Prierias Dominicanus Eccium sequitur: Sylvestrum Hogstratus